

339.

Christoph Schappeler¹⁾ an Vadian.

II 121.

1523. Februar 15.

Dank für die Bemühungen Vadians wegen der Predigerstelle in Wintertur. Lob der Vorkämpfer des Evangeliums. Er wünscht eine raschere Erledigung der Angelegenheit in Wintertur und rühmt die Tätigkeit Vadians für das Evangelium. Verwunderung über das Stillschweigen Burgauers.

S(alutem). Quas ad me dedisti literas, una cum articulis Ziglilianis ^{Ing}
 14. Februarii cepi gratissimus, Vadiane clarissime, ubi et tuam et meorum in mei commendationem apud Tigurinos atque Vituduranos pervigilem sollicitudinem intelligens, diem quoque ipse collationis optatum indes exspecto fastidioso^{a)}. Rem namque iam olim cum magistro ⁵⁴⁵
 Symone exactam officiique munus idem interea alteri per eosdem contulisse aestimarim. At lance negotium pendet adhuc ob forsán Zinglii nostri, viri vere theologi, ac monstrorum nostrorum vanissimorum digladiationem, Tiguri nuperrime pretextam atque simulatam. O ridicula sophistarum hæc conventio, o præsumptio idolorum audacula, o stolidum meticulosumque papistarum pectus: quis hominum uspiam talem non subsannaret spectaculi vani palestram! Ego re vera, o Vadiane integerime, meique similes plurimi Democriticum^{b)} (ut aiunt) cachinnum continere haud potuimus, scilicet (?) gratulabundi non tam Luthero ^{sed et}
^{Ing} quam Ziglio, propugnatoribus rei evangelicæ solidissimis; immo vero dei verbo vivacissimo gratias, ut decuit, agemus immensas. Sed talibus tantilli scioli semper digni sunt muneribus et eam ipsam in futuro concilio proximo ubivis celebraturo^{c)} mercedem^{d)} consimilibus spero obventuram, ubi montes parituri, ut ipse scribis, murem ridiculum orbi offerrent. Di bene vertant! Valeat autem ille meus olim Ioannes Fabri, faberrime fulcitus; valeant et occæcati omnes vespiliones^{e)} muti. Paucis, quid velim, hic accipe: Re pariter altercatione inter Vituduranos ast dominum Symonem Megli finita extinctaque, quantocius ut possint certio-
 tiorem ac quietiorem ipsi me reddant, apprime peto. In sui enim et mei iacturam res ipsa tantisper differtur. At vero ingenioli mei acto illic periculo, meo denique abdicato Meminge officio^{f)}, ad angariam sequentem integram in loco manere atque solito fungi labore iuxta nostram fundationem astringor. Eo nobis opportunum, ut isthac adhuc angaria autve infra quindenam rem mecum planam acturi maturarent; alioqui ante au-

tumnalem angariam, utpote exaltationem crucis, pedem et a loco et officio¹⁾ amovere potuero neutiquam. Sed quid opus illic faciundo²⁾ in cancellis periculo præludari, quum et Sertorius et ipsius vita, quantalacunque eruditio eiusque decennalis contio publica passim nota siet? Verum salvo eius loci more laudato fugam non quero, faciem offerre (?) nec recuso. Omnino alterutram rei personarumque conditionem coram aperiamus. Probandus ipsos ego pariter probabo. Habes, quid velim, optime doctor. Fac igitur voti aliquando et quidem ocus compos efficiar. Boni consulto tuum Christophorum, ut germanum alterum amore sincero foveto. Nam tu unicus et singularis meus es patronus, orbe dimidio charior. Scribis evangelii negotium saluberrimum penes vos augescere indes teque Apostolorum Acta in tui tuorumque felicem profectum clericis profiteri, hominem medicum sophiæ magisque theosophiæ deditum; immo ut vere christianum decet, nedum Aesculapium^{b)}, morbis medicus evangelicus mederis periculosissimis adeoque pestiferis. Rem in hoc agis, mi Vadiane, Christo Iesu³⁾ dignam atque tuo Sertorio complacitam, vulgo præconisandam. Det deus optimus maximus utriusque et intellectum et salutarem profectum.

Quid autem boni Benedictus meus, parochus, tanquam erga me mutus hactenus obmutescens domi agat, alioqui in vinea domini fervidus, haurire nec literis nec ulla salutatione potui. Rei eiusce causam scire optarim. Si quid ei displicet in me, mihi proximo significet; animum enim vero et in eum gero amici solidum eundemque ipse indubius ab eo exspecto. His tu tui nostrique confratres in Iesu⁴⁾ valent omnes. Pollicita ^{f ea}
 mandataque fidelis observa, doctissime Vadiane, et Christophorum tuum in tuum aliquando prospectum deo propitio convoces. Iterum vale, decus nostrum. Raptim 15. Februarii 23.

Tuus ut optas C. Sertorius.

Dogmata Lutheri sacris de fontibus orta, quod sordent mundo, credo placere deo. *Beatus Ioannes Huf* et socius eius Martinus, quia ^{π β}
ipsi docuerunt legem dei, ad symphoniam antiphone: *Beatus vir, qui suffert tractatque rem*, e quodam puello vix sexennio, in quadam collatione una cum 16 Lutheranis constitutus, tam lætus quam mirabundus coram me concinnatum audivi, cui et crucigerum dono dedi. Hęc^{c)} vox ^{uis}
 multum amara.

Clarissimo viro Ioachimo Vadiano, gemine medicine professori sincerissimo, apud divum Gallum militanti, fautori atque patrono suo semper observando.

Wp

Sanctgallen.

a) „fastidiosque“. — b) „Democryticum“. — c) Erstes „e“ geschwänzt. — d) Zweites „e“ geschwänzt. — e) wohl für „vespertiliones“. — f) „t“ für „c“. — g) „c“ für „t“. — h) „Esculapium“. — i) „Hiesu“.

l) Von *Christoph Schappeler*, genannt *Sertorius*, von St. Gallen (1472—1551), Prediger in Memmingen, liegen 7 Briefe vor aus den Jahren 1523—1541.